



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. Vndè sit causa electionis, vtrum ex lege, an nostra actione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**



Reſtinationis eſt diuina electio, qua Deus eligit quos vult ad ſalutem ante mundi conſtitutionē, Eph. 1. Cuius cauſa eſt gratuita illius promiſſio, non lex ipſa aut noſtra actio, ſed gratuita eius miſericordia eſt cauſa electionis, Ro 9 Non eſt currentis neq; volentis, ſed miſerentis Dei & Rom. 8. Quos prædeſtinauit, hos & vocauit. Cauſa igitur diuine electionis eſt Dei miſericordia, voluntas & beneplacitum.

2. Si Dei miſericordia eſt cauſa electionis, & ipſa cauſa non eſt in homine, cur non omnes eliguntur? Reſpondeo: cauſa reprobationis eſt bene in homine, quia nos non ſuſcipimus promiſſionem ſalutis propter Chriſtum, non omnes obediunt Euangelio & fidei, Romanorum decimo. Promiſſio enim ſalutis, vniuerſalis eſt: ab hac nemo excluditur. Matthæi vndecimo Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reſciam vos. & 1. Timoth ſecundo. Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Et Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in illum, & c. Vbi quæ Euangelium & ſcriptura exprimunt vniuerſalem promiſſionem ſalutis, & neminem excludunt. Rom. 3. Non eſt diſtinctio Græci, & Iudæi, omnes qui credunt in illum, & c. Euangelium de Chriſto, ad omnes pertinet, & Deus vult omnes ſaluos fieri. Ideo quòd non omnes ſaluantur, cauſa non eſt in Deo, ſed in nobis: quia non credimus Euangelio & promiſſioni ſalutis, ipſe enim vult omnes ſaluos fieri. Nemo igitur hic facere debet particularem promiſſionem, & dubitare, num ſit de numero ſaluandorū ac prædeſtinatorum. Nam promiſſio ſalutis, vniuerſalis eſt, Venite ad me omnes. Deindè, quòd, eſſe de numero ſaluandorum ſeu electorum, non eſt propter noſtram dignitatem, ſed quia promiſſionem accepit

1. Tim. 2.

Matth. 11.